Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 395
Quelle:
Copyright:

CXL. VII. 7. 15.

854 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 36. 8. charactere minuto exaratus continet *Matthaei Vindocinensis Tobiadem*, Poema elegiacum etiam *Cod.* CCLIX. relatum. In Exemplo praesente Dicatio:

Ecclesie turonensis apex ouium speculator &c.

anteit Praefationem:

Ex agro ueteri uirtutum semina, morum &c.

Ut de ejus merito specimen aliquod dem, en prima ipsius Poematis Disticha cum Editione *Argentin.* 1510. 4. comparata:

Codex.	Editio.
Dist. 4. *merito, simplicitate praeit.*	*merita simplicitate praeit.*
5. *praeit tempora.*	*praeit tempore.*
8. *non mergit honestum.*	*non frangit honestum.*
12. *Triplice compatitur.*	*Triplici compatitur.*
13. *Praeuia — studet.*	*Premia — solet.*

Quae qui expenderit, pro *Codice* pronuntiabit. Summaria Particulis Narrationis adscripta sunt. Deficit vero Poema in hoc versu:

Crescat in immensum generatio uestra. Ualete — —

ut adeo desint Carmina 267.

CXLI. VIII. 9. 3.

580 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 19. 4. inscribitur: *Paraphrasis Septem Psalmorum Poenitentialium Harmonia Sapphica Reddita Et Exposita. In Gratiam et Honorem Illustrissimi Principis ac Domini Domini Maximiliani II. Romanorum Imperatoris, nec non Hungariæ et Bohemiæ Regis, Archiducis Austriæ &c. Domini sui Clementissimi. Authore M. Joanne Spanglio Oenipontano. Anno salutis humanæ* M. D. LXIX. In Praefamine laus Doctrinae coelestis ejusque Administrae Poetices. Hujus porro in Nostro facultas admodum tenuis, ut patebit e subjecto *Psalmi* VI. specimine:

Orbis